



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Capitvlaria Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae  
doctissimorum virorum

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1677**

XCVII. Alia ingenuitas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-22974**

cogitare debemus, ut aliquantulum de peccatis nostris minuere mereamur. Itaque ego ille in Dei nomine &c. *ut supra pag. 444.*

*Alio modo.*

XCVI. Qui debitum sibi nexumque servum relaxat, primum ex hoc Dominum in aeterna beatitudine retribuere confidat. Quapropter in Dei nomine ille cogitans Dei amorem vel aeternam bonam retributionem, vernaculum juris mei nomine illum ab omni vinculo servitutis ad praesens absolvo, ita ut ingenuus sit & ingenuus permaneat tanquam si ab ingenuis parentibus fuisset procreatus vel natus. Peculiarare vero suum quod habere videtur, vel deinceps elaborare potuerit, sibi habeat concessum atque indultum. Mundeburdem vel defensionem ubicunque sibi eligere potuerit, licentiam habeat eligendi. Civis Romanus portas apertas eam pergat partem quam voluerit ambulare. Et nulli heredum ac proheredum meorum ullo unquam tempore reddat libertinitatis obsequium; sed ipse & agnatio sua posterum semper valeant permanere bene ingenui atque securi. Et si quispiam deinceps. & reliqua.

*Alia ingenuitas.*

XCVII. Quoniam sanctissimi Hludovici Imperatoris pietas, quam habet in animo, ea quaerere & indagare non cessat quae Dei potissimum congruant voluntati &c. *ut supra pag. 439.*

*Alia ingenuitas.*

XCVIII. Secundum legem Romanam, nullatenus revocetur. \* sub die illo, regnante Domino nostro illo Rege, Indictione illa, vir venerabilis ille Diaconus testatus est &c. *ut supra pag. 466.*

*Redemptionale.*

XCIX. Dilectissimo mihi bene merito illi. Omnibus non habetur incognitum, sed patefactum, quod tu quotidie in bonis partibus fideliter mihi deservire non cessas &c. *ut supra pag. 462.*

*Episcopa Regi mittenda pro libertate servi sui impetranda.*

C. Domino invictissimo atque glorioso Regi illi sancta Lingonensis Ecclesia praesentem perpetuamque incessanter felicitatem devotissimis exorat precibus. Ad notitiam celsitudinis vestrae perferre nos ecclesiastica provocat necessitas de promotione servi vestri nomine illius ex loco juris vestri nuncupato illo, de ministerio illo, vel de beneficio illo, cujus gratia eru-

ditus, & inter nostra, parvitas studia, scientia, vita, ac moribus pro modulo qualitatis quantitativae instructus, jam munus clementiae vestrae dandum nobisque significandum ejus de libertate expectantes, ad gradus ecclesiasticos eum promoveri vestrae largitatis munificencia parati sumus mox ut statutum de eo vestram canonicamve dignitatis senserimus licentiam. Deus caeli & terrae universaeque conditionis ad tutelam vos semper protegat Christianam, ita ut hoc aeo vestro superexaltatam in omnibus sanctae matris Ecclesiae sentiat causam.

*Libertas civium Romanorum.*

CI. Auctoritas ecclesiastica patenter admonet, insuper & majestas regia canonicae religioni assensum praebet, ut quemcunque sacros ad ordines ex familia propria promovere Ecclesia quaeque delegerit, in praesentia sacerdotum, Canonicorum simul & nobilium laicorum, ejus qui subiectus est manumissio sub libertatis testamento solenniter roboretur. Idcirco ego in Dei nomine ille Episcopus quendam Ecclesiae nostrae famulum nomine illum sacris ordinibus dignum, ad altaris cornu, nobilium virorum in praesentia, civem Romanum per hoc auctoritatis testamentum statuo, ita ut ab hodierno die & tempore bene ingenuus atque ab omni servitutis vinculo securus permaneat, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisset procreatus vel natus, eam denique pergat partem quamcunque volens canonicè elegerit, habensque portas apertas, ita ut deinceps nec nobis neque successoribus nostris ullum debeat noxae conditionis servitium neque aliquod libertinitatis obsequium; sed omnibus diebus vitae suae sub certa plenissimaque ingenuitate, sicut alij cives Romani, per hunc manumissionis atque ingenuitatis titulum bene semper ingenuus atque securus existat. Suum vero peculiare quod habet, aut quod abhinc assequi potuerit, faciat inde secundum canonicam auctoritatem liberè quicquid voluerit. Et ut hoc testamentum atque ingenuitatis auctoritas inviolabilem intervallamque obtineat firmitatem, manu propria firmavi. Sacerdotes quoque & Canonicos necnon & laicos nobiles praesentes similiter subterfirmare rogavi.

*Denariale praecipuum.*

CII. Ille Rex Francorum vir inluster. Quia fidelis noster nomine ille veniens ante nos vel procerum nostrorum praesen-